

LECTIO PRIOR

«Si fuerint peccata quasi vermiculus,velut lana alba erunt»

Lectio libri Isaiae prophetae

1, 16-18

Lavámini, mundi estóte; auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis; quiéscite ágere pervérse, díscite benefácere; quærite iudícium, subveníte opprésso, iudicáte pupillo, deféndite víduam. Et veníte et iudício contendámus, dicit Dóminus. Si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabúntur; et si fúerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 31, 1-2a. 5. 10b-11 (R: 1a)

R̄. Beátus cui remíssa est iníquitas.

1 Beátus cui remíssa est iníquitas  
et obtéctum est peccátum.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus delíctum. R̄.

2 Peccátum meum cógnitum tibi feci,  
et delíctum meum non abscondi.

Dixi: «Confitebor advérsus me  
iniquitátem meam Dómino».

Et tu remisisti impietátem peccáti mei. R̄.

3 Sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit  
Lætámini in Dómino et exultáte, iusti,  
et gloriámini omnes recti corde. R̄.

Die 12 Octobris

S. Boni Latronis

*Ant. ad introitum*

**A**it latro ad Iesum: «Meménto mei, Dómine, dum vé-  
neris in Regnum tuum».

*Collecta*

Omnípotens et miséricors Deus, qui iustificas peccatóres,  
te súpplīces exorámus, ut nos bénígnō intúitu,  
quo Unigénitus tuus beátum Latrónem traxit,  
ad dignam pæniténtiam próvoces,  
et illam quam ei promísit, tríbuas nobis glóriam sempitérnam.  
Per Dóminum.

Lc 23, 42

ALLELUIA

Lc 23, 43

R. Allelúia. V. Iesu, meménto mei, cum véneris in Regnum tuum. R. Allelúia.

EVANGELIUM (propr.)

*\*Hodie mecum eris in paradiso\**

✠ Lécctio sancti Evangélii secúndum Lucam 23, 39-43

In illo témpore :

Unus de his qui pendébant latrónibus blasphemábat eum dicens: «Nonne tu es Christus? Salvum fac temetípsum et nos». Respóndens autem alter increpábat illum dicens:

«Neque tu times Deum, quod in eádem damnatióne es? Et nos quidem iuste, nam digna factis recípiamus: hic vero nihil mali gessit». Et dicébat: «Iesu, meménto mei cum véneris in Regnum tuum». Et dixit illi: «Amen dico tibi: Hódie mecum eris in paradiso».

Verbum Dómini.

*Super oblata*

Hæc oblátio nos, Dómine, quæsumus, ab ómnibus purget offénsis, quæ in ara Crucis étiam tótius mundi tulit offénsa. Per Christum.

*Ant ad communionem*

Lc 23,43

Amen, dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.

*Post communionem*

Sumpta mystéria, quæsumus, Dómine Iesu, ad illam felicitátem nos praéparent, quam in Crucis patíbulo pendens Latróni confiténti misericórditer promiststi, Qui vivis.



Patriarchatus Latinus- Ierusalem  
البطريركية اللاتينية الأورشليمية  
المكتب الليتورجي  
Officium Liturgicum

Die 16 Octobris

## S. Longini, Militis et Martyris

*Ant. ad introitum*

cf Apoc 5, 9

**R**edemisti nos, Dómine, in sánguine tuo, ex omni tribu  
et lingua et pópulo et natióne.

*Collecta*

Dómine Iesu Christe, qui dixisti:

«Si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meipsum»:

præsta quæsumus,

ut per intercessiónem beáti Longíni Mártyris,  
tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus.

Qui vívis.

LECTIO PRIOR

«Videbunt in quem transfixerunt»

Lectio libri Zachariæ prophetæ

12, 10-11a; 13, 6-7

Hæc dicit Dóminus:

«Effúndam super domum David et super habitatóres  
Ierúsalem spíritum grátiae et precum: et aspícient ad me. Quem  
confixerunt plangent quasi planctu super unigénitum, et do-  
lébunt super eum ut doléri solet super primogénitum. In die  
illa magnus erit planctus in Ierúsalem».

Et dicétur ei: «Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum  
tuárum?» Et dicet: «His plagátus sum in domo eórum qui  
diligébant me». Percute pastórem et dispergéntur oves, et  
convértam manum meam contra párvulos».

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 21,1 et 7. 8-9. 17c-18. 19-20 (R: 17c)

R̄. Fodérunt manus meas et pedes meos, et dinumerávi  
ómnia ossa mea.

1 Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?  
Ego autem sum vermis, et non homo,  
oppróbrium hóminum et abiéctio plebis. R̄.

2 Omnes vidéntes me derisérunt me;  
torquéntes lábia movérunt caput:  
«Sperávit in Dómino, erípiat eum;  
salvum fáciat eum, quóniam vult eum». R̄.

3 Fodérunt manus meas et pedes meos,  
et dinumerávi ómnia ossa mea.  
Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me. R̄.

4 Divisérunt sibi vestiménta mea,  
et super vestem meam misérunt sortem.  
Tu autem, Dómine, ne elongáveris.  
fortitúdo mea, ad adiuvándum me festína. R̄.